

IN NOMINE SACROSANCTÆ TRINITATIS!
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA



DE
P I C A,

Hanc
Decreto & Autoritate illustris & gratiosissimi Senatus
Asclepiadæi, in famosissimâ propter Salam Academiâ,

PRÆSIDE

*VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCEL-
LENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO*

**DN. JOHANNES AR-
NOLDO FRIDERICI,**

Philosophiæ & Medic. Doctore, Anatomix, Chirurgiæ &
Botanices Professore Publico famigeratissimo, Medico Pro-
vinciali Saxo-Altenburgico felicissimo,

*Domino Patrono, Præceptore atque Promotore
suo ad urnam colendo,*

PRO

GRADU DOCTORALI,

ET

SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS
ET PRIVILEGIIS LEGITIME OBTINENDIS,

solemni submittit examini

M. SAMUEL LEDELIUS

SORAVIA-LUSATUS,

Ad diem 5. Julii, in Auditorio Majori,

horis pro- & pomeridianis.

**JENÆ, Ex MOLTBDGRAPHIA KREBSIANA,
ANNº MDC LXVIII.**

Illustrissimo ac Generosissimo Domino,

D N. U L D A R I C O,

Sacri Romani Imperii Comiti à Promnitz/

Libero Baroni in Plessa/ Sorau/ Tribel & Naumburg &c.

Plenipot. Administrat. Dominat. Sorau/ Tribel & Naumburg/ Domino in Forsta & Pforten &c.

U T E T

Illustrissimo Et Generosissimo Domino,

D N. H E N R I C O,

S. R. I. Comiti à Promnitz/ Lib. Baron.

in Plessa/ Sorau/ Tribel & Naumburg &c.

Bigè pariter

Illustrissimorum ac Generosissimorum Fratrum

D N. B A L T H A S A R O

E R D M A N N O,

D N. C H R I S T O P H O R O

U L D A R I C O,

S. R. I. Comitibus à Promnitz/ Lib. Baron.

Plessæ, Soraviæ, Tribellæ & Neoburgi &c.

D N. N. N. N. suis gratiosissimis

hanc Inauguralem Dissertationem,


ut quintum Academicorum laborum specimen

humillimè consecrat

subjectissimus

M. SAMUEL LEDELIUS,

Medicinæ Doctorandus.



Εὐν Θεῶ τῶ ἰατρῶ χειρῶ !



udiciose non minus quam facun-

dè & jucundè Menenius Agrippa discor-

des ad concordiam revocabat Romanos,

recitatâ, de diffidio humanorum artuum

cum ventriculo, fabulâ. Hunc enim so-

lum ignavum pecus esse, se verò operosiores, artus reli-

qui clamabant omnes, eique ulterius ancillari dene-

gabant.

Ast quando sensissent, quod ejus opera redactis in san-

guinem cibus irrigarentur, moribundi à sejunctione re-

diere in gratiam, cum manifestissimo indicio, illum

reverâ Regem esse, teste Q. Sereno, se vasallos tan-

tum & subditos.

Sic est; ut valet ventriculus, sic reliquum corpus:

ut Rex, ita grex.

Ἡ γὰρ τῆς κοιλίης ἀνεκωσις, ἢ τῶν ὅλων σύγχυσις. Haud

secus ac Regem vel Principem cum aliquo infortunio

dimicantem facillimè perferunt subditi.

Uti autem nullius Regis solium tam vastum & fa-

stuosum, quin aura maligna illud aliquando ambiat :

Parili modo *microcosmici Principis* sedes non tam muni-

ta, quin gravi & maligni halitus in illam aliquando ir-

ruant, eam impleant, defœdent.

Exemplo esse possunt Symptomatici adfectus va-

rii ortum debentes aut lieni, aut mesenterio, aut hypo-

chondriis, aut utero; harum enim partium debilita-

tes, & angustias facilè perferunt ventriculus, tam ob

communione vasorum, quam viciniam.

*Florus l. r. c. 22.
Val. Max. l. 8. c. 1.
L. 9. Hist. l. 2. de c. 9.*

Q. Serenus Sam-
manicus.

Et suos hoc viscus patitur manes, dum & ipsum sufficiens est alere plures morborum insultus per Πρωτοπείθειαν. Omnium instar mihi hac vice esto PICA, adfectus si non frequentissimus, frequens tamen & magnus, cacochymicis & prægnantibus infestus atque infaustus. Hic modo per ιδιοπείθειαν, modo per συμπείθειαν adest, cumque plurima post se trahat mala, dignus in quem oculi conjiciantur. Placuit itaque jussu & autoritate Nobilissimi & Amplissimi Collegii medici loco *speciminis Inauguralis* benivolo lectorum obtutui subijcere *variabilem & centiformem huncce appetitum*: potuissimus frequentius in praxi occurrens thema pertexere, verum delicatulo stomacho sæpiculè faba adblanditur, malumque algam adponere, quam crambem decies cotam. jova juva! Amen.

Πεγαύλιον excipiat

CAPUT I

et Nomen & Rem exhibens.

ARTICULUS I.

Nomen pertractat.

Nihil est in Medici manu ac opere, nisi prius in mente fuerit & cognitione, *magnus noster Hippocrates ait*. Ideoque nec nostram operam in evolutione nominis nostri adfectus vanam futuram hariolamur.

Nolumus autem verbosi esse nimisque curiosi in talibus, quæ absolutissimæ necessitatis non sunt ut Medicum distorqueant. *Εν γὰρ τῇ πραγματικῶν γνώσει τὸ κατορθῶν εἶναι, οὐκ ἐν τοῖς ὀνόμασιν? in rerum cognitione consistit successus operis, non in nominibus.* Interim quæ è re erunt non posthabentur.

More recepto tria sunt enucleanda in nominum cognitione. Adplicamus nostro adfectui, & facimus ut prodeat.

1. Πολυσημία. Hæc partim nobis faceret negotii. Adfectus noster vocatur PICA. Nomen hoc aliàs genuinum *anvari coloris, loquaci et salutarici*, uti eam describit *Sperlingius*, Germani vocant *Ässter* *Ägelasster*.

Deinde in scriniis Medicorum vocula extat *Picatio* nempe, denotans medicamentum *Διά πίκτης* ex picæ compositum, quibus de agere cum non hujus instituti, saltim meminisse juvabit. Qui plura de picatione scire aver, adeat *incomparabilis Rossincii Method. Comment. Morelli Method. conscribend. formul.* qui sub Dropace hujus picationis mentionem injicit. Adjunge *Nobiliss. atque Excell. Dn. D. FridERICI Collegium privatum in Morellum ante triennium à me habitum.* Sunt qui affectum nostrum vocant *Picationem*, quo de infra.

Tandem PICA denotat adfectum illum & viris & mulieribus, præprimis prægnantibus familiarem, dum nempe stomachus vitiosus & à natura alienos concupiscit cibos præter morem: & hæc significatio hujus loci propria.

2. Συνανυμία nunc succedit, docens adfectum nostrum variis insigniti nominibus. PICA in vulgus audit, quam vocem sagacissimus naturæ scrutator *Plinius* rejicit, & quando de depravato prægnantium adpetitu sermo sit, *malaciam* substitui debere innuit. Huic pollicem premunt alii, distinguentes inter *Picam* & *malaciam*, illudque generalius, hoc specialius sumi debere asserentes.

Verùm hæc subtilitates cum non arrideant cordatioribus, p. m. *Mœbio* Excell. stamus à latere, qui indiscriminatim usurpat, proque Synonymis habet hæc duo: cum nemine interim contentionis ferram reciprocabimus, sive ab aliorum sive à nostris ster partibus.

Vocatur etiam *Citta*, seu Græcè κίττα, hinc quidam non per *picam* sed *picationem* τὸ κίττα exprimi debere contendunt! *Vide Martini in Lexico Philolog.*

Nobis sunt Synonyma, *Pica*, *Citta*, *Cittosa passio*, *malacia*. *Vide Morellum in Lexic. Fuchsum in Instit. Med. Germani tam felices non sunt ut Pica naturam unico exhaustire queant*

Instit. Physic. l. 2. p. m. 1147. Franz. histor. anim. p. m. 561.

Ord. & Method. Comm. p. m. 437. Morell. p. m. 203. ad Anatomic. p. m. 14.

l. 23. cap. 6.

Mæb. Instit. Medic. p. m. 170.

Martin. in Goco Pica morbus. Morell. in Lex. Medico.

Fuchs. Instit. Med. l. 3. f. 2. c. 18.

de Ger. et. Med. & leg.

Adde Calepinum, Fabrum, conterraneum nostrum, & alios. ant vocabula, nobis placet ejus indolem ira patefacere: Eine unordentliche Begierde allerhand ungewöhnliche Dinge zu essen/ und welche sonst dem Magen zu verdauen schwer fallen/ fürnehmlich schwangern und andern Magen-breßhaften gemein.

Martin. in Lexico 3. *Etymologiae* brevibus subnectimus. Pica dicitur ab ave illa noxissima *pica*; quia hæc gaudet varietate vocis pennarum & motus, dum modo huic modo illi infidet a-bori, ut vult *Petrejus* quæ varietas ratione adpetitus in *pica* laborantibus etiam est frequentissima.

Sennertus in Prax. & Inst. Moebius in Instit. Petrejus Dissert. Harman Paul. Aegin. l. 1. c. 1. Frankl. 3. p. 1. s. 2. c. 5. Alii dicunt, *preprimis Aegineta*, quod affectus inde *pica* denominationem obtinuerit, quia *pica* avis consimili adfectu laborare deprehensa fuerit: cui tamen contradicit *Sennertus*.

Possit fortean & inde origo denominationis peti, quia *pica* variis rebus inhiat, illas rapit, clanculum in aliena loca deportat.

teirab. 4. Sermon. 4. c. 10. *Aëtius* *Cittam* *ἄρ' ἑ κητῆς* ab hedera dici mavult, quia ut hæc se variis implicat plantis, ita & *pica* adfecti varia adpetunt.

Hæc de Onomatologia. Ignosce benivole Lector, si te paulò diurius in arrio detinuimus, necessitas efflagitabat uberius hic tecum agere, ut eo oprator succedat progressus in reliquis, Sifit se nunc capitis hujus

ARTIC. II, rem præ se ferens.

Misis remoris fundamenti loco ponimus definitionem. Non enim nescii sumus quantum valoris in tractatione rerum habeant Definitiones, quam itaque obferimus, erit talis:

Pica est depravata appetentia ventriculi, cibos postens insuetos, à peculiari dispositione humoris fermentalis in ventriculo contenti ortum ducens. Genus definitionis seu formalis ratio est depravatus ventriculi adpetitus. Ut autem tres sunt res secundum naturam, *Sanitas, causa hujus, & actionum integritas*: ita tres sunt præter naturam, *causa nempe morbi,*

morbis & Symptoma. Vid. Inst. Senn. Moeb. Hoffmann. Euchf. Horst. Synops. Inst. l. 2. f. 1. Art. 1. *manud. & quæ pronuper non sine applausu Musarum & Græ-tiarum prodire Magnifici Dn. D. Schenkii, Præcept. fidissimi.*

Inter autem Symptomata affectum nostrum locum sibi vendicaturum quilibet perspicere potis est, qui per transenam oculis obivit Medicorum pulpita. Cum verò & hæc triplicis sint generis, ad primum meritò referimus, nempe *Actionis lesa facultatis vitalis*. Læduntur autem actiones hic, dum vel *abolentur*, vel *imminuuntur*, aut *augentur*, vel *depravantur*. Exsurgit hinc ex dictis adfectum nostrum esse *symptoma actionis depravate*. Cum verò accidens hoc suum requirat subjectum, ideoque rectà propèramus ad

CAPUT II. Quod aget de subjecto Picæ.

Subjectum ut quod morborum est homo, ut quo est corpus humanum ejusque partes. Speciatim in nostro adfectu subjectum posuimus ventriculum, & quidem nervosam *ἡ σπῆματ' ἡ γαστρός* orificii finistri partem.

Possit hic quis objicere in prægnantibus uterum potius esse subjectum picæ, cum notum quod noxam uteri facilè recipiat ventriculus, teste vomitione imprægnationis tempore, anorexia, appetitu prostrato in mensibus inordinatis.

Verùm huic reponimus utique sæpissimè fomitem huic malo posse subministrare uterum, ita ut radicaliter dependeat ab utero, magis tamen sese exerat in ventriculo, hinc illud subjectum ægritudinis vocandum, in quo apertius & gravius furit malum, quia teste Seniore nostro venerando *Rolsincio* statim compatitur pars *συμπληκτικῆς* læsa, sitque mox *ἰδιον* *Method. Com-mentat.*

Reliqua definitionis verba ut etiam sub incudem revo-centur, constituimus

CAP.

CAPUT III. De Causis, & hujus

ARTIC. I.

De Causa immediata.

CAUSA cognita rem habemus cognitam. Enimvero ea non instructus *Palladis portas nec aperire, nec ingredi, mul-
tò minus ad regium vnaeas solium accedere, & gloriosa regina
conspectu frui potest, verba sunt magni Rolsinck.* Causa alia
αἰετος, alia εἰμπετος. *Αἰετος* in nostra definitione fecimus
peculiarem dispositionem humoris fermentalis.

Mirum quantum hic ludat mens humana in excogitan-
dis verbis, terminis, causis. Tremula certè manu hoc caput
conscripsimus, quia impossibile hic omnibus placere, omni-
um captui sese accommodare, omnium difficultatum scopu-
los superare. Manet quippe veluti ex Tripode dictum quod
Excell. Velschius dicit; nos in admirationem magis rapere
hunc adfectum & stuporem injicere, quam ut nostrae mentis
acie ejus vera penetrari queat causa.

Nobis animus est paucissimis & veterum & recentio-
rum placita tangere, epicrisi nostra suspensa: Interim quae
nostra mens sit patefaciemus, cuiq; suam relicturi Phyllidem.

Veteres omnes occulti quid quarunt in *Pica*, quod ut evi-
tent neoterici, principiis suis tribus systaticis omne concre-
dunt regimen, iisque innixi occultam illam morbi indolem
patefaciunt. Illi praeterea accusant *tristem suctionis sensum*,
acidam pituitam, pravos, vitiosos & malignos humores, per
interiores ventriculi tunicas sparsos ad orificium ventriculi
superius, ut loquuntur (nos accuratius dicimus sinistrum) de-
latos, è liene, hypochondriis aut utero exaltatos, aut à cibo-
rum reliquiis corruptione & alteratione accedente in ventri-
culo generatos. Adpetitum autem dein variare pro diversi-
tate humorum in ventriculo stagnantium.

Chimicorum antesignanus *Paracelsus* & ejus affecta in-
cusa.

causabunt in adfectu nostro *Resolutum, ex officio delapsum, &*
nempe cohaereat orificio ventriculi sinistro, unaque convo-
cabunt praecipitatum *Valem Spir.* ut duriora absurdaque in-
gesta domare pro penetrantia sua sustineat. Aut oriatur iis
hoc malum ex tincturis *¶ Olati* resolutis, eandem quippe

*Petrus Dissert.
Harmon. part. 1.*

cum bulimia agnoscit radicem.
Nec *¶* dimittent innominatum ut solitarium, quippe
ad quem confugiunt ubi glaucoma illis obduxit natura, ne
causas rerum exactè perspiciant, cum aliàs ventriculi mor-
bos plerosque ex impuritatibus *¶* reis deducant.

Hic iis peccabit, quatenus ejus mucilagines *¶* ium a-
crijum & corrosivorum habebunt tincturas: *Joh. Baptist. ab
Helmont.* palmam dabit *ACORI suo corrupto*, quem plenis ad
astra tollit laudibus, quippe qui genuinus detector plurimo-
rum morbi insultuum illi est. Cateroquin statuit famem à
splene in stomachum inspirari cum *Arabum Principe Avi-
cenna.*

*Helmont. tract. de
pylor. rector.
Avicenna l. 1. Com.
fen. 1. doct. 4. c. 1.*

Jos. Quercet. Regius Medicus Excellentiss. in profundi-
oris eruditionis libro, cui ritulus: *tetrus graviss. cap. aff.* di-
scurrit judiciosè de aciditate famelica Hermeticorum, spiri-
tibusque *Olati*, à quibus exaltatis durissima quoque, qualia
sape aegri nostri adpetunt & comedunt, devorari & conteri
posse, quae omnia ex mente ejus & nostro possent accommo-
dari adfectui.

*Jos. Quercet. tetr. ad.
aff. cap. p. m. 79.*

FERMENTATIONIS PATRONI in fermentali succo
hic causam quarunt, quem *Zacutus* ex venis splenicis in-
ventriculum ait derivari.

Vvillis.

Hogelandus ex membranis, *Backius* ex arteriis exsudare scri-
bit fermentum hoc; potest hic accusari quatenus symmetrias
leges violat, turbasque & feditiones excitat.

DUCTUS PANCREATICUS SYLVIANUS si sit ob-
structus, aut succus ejus acidior, hic etiam sua inprimit vesti-
gia, potestque tolerari inter causas remotiores, & in eo accu-
sari quatenus flatuosa materia ex intestino jejunum succo pan-
creatico peccanti mista ascendit. *Vide jam dudum exopta-
tum consultat. opus famigeratissimi Rolsinck.*

*Vid. Regn. Graef.
de succ. Pancr. p.
m. 78.*

*Meth. Consultat.
l. 6. conf. 2.*

B

Nonne-

*En addit. ad obse-
ritic, Gallic. 9. 22.*

*Joh. Jonston. M.
Pr. l. 10. artic. 4.*

*Petrus in Dissert.
Harmon. Joël in
Prax.*

*Lemnius. l. 1. c. 5.
de occult. Nat. mi-
racul.*

*Galenus,
Sennertus.*

Platorus.

Morquellus in Lexic.

Nonnemini sanguis erit nidus adfectus hujus, quippe qui sanguini omne defert punctum in enucleandis morborum causis.

Vt denique & nos nostrum addamus symbolum, causam immediatam statuimus esse peculiarem dispositionem & corruptionem humoris fermentalis a reliquiis cibi in ventriculo restaurati, & pro humorum adfluentium qualitate, unde unde fluant, infecti, ad orificium ventriculi sinistrum delati, ibique pro acrimonia sua aut acri salsedine nervos & ti paris lancinantis, sensum tactus & adpetitus inducentis, & pro occulto missionis modo aut acria aut dulcia, aut mollia aut solida, aut alia quaecunque ad amplectendum extorquentis & subjugantis.

Naturalis adpetitus à neotericis humoris fermentalis a credini tribuitur, ita & hic præternaturalis; suctio enim venarum veterum in ciendo adpetitu videtur antiquata esse, cum plures illa doctrina secum vehat absurditates, ad oculum id demonstrante *Mæbio* desideratissimo,

Stante hoc, rectè inculavimus peculiarem fermenti dispositionem & corruptionem, quia causa appetitus naturalis rectè detegunt causas præternaturalis. Præcuntes habemus Nobilissimos Præceptores nostros, plus quam filiali cultu prosequendos, *Mæbium* pariter, *Sylvium*, *Deusingium de nutrit. animal.* qui dicit; prout fermentum hoc est adfectum, ita etiam expetit cibum, nempe similem naturæ fermentali. Sed properamus ad

ARTIC. II.

De Causis mediatis proximioribus.

MEDIATÆ CAUSÆ, PROXIMIORES sunt humores vitiosi, qui *Μωλαγγρον περιττήριον*, coctioni destinatum viscus in sua Oeconomia turbant, partimque colliguntur in ipso ventriculo, dum in Chylificatione partes excrementitiæ non ritè excluduntur, partim autem resistant in hypochondriis, noxamque suam adfricant ventriculo.

Malum

Malum hoc cum frequentius soleat infestare prægnantes, ideo que uterus hic non dimittendus.

Varii in hoc veneris ergastulo concentrantur humores, dum Chylificatio læsa, dum mensium fluxus aut imminutus, aut depravatus, aut abolitus, hinc tot morborum insultus perferre coguntur hæ ad patiendum natæ creaturæ.

Naturaliter sub imprægnationis tempus subsistunt menses, natura autem noxiæ plurima cum hoc rivulo eliminat: si jam foemina cacochymicum gerit corpus, accedit imprægnatio mensiumque retentio, qui fieri aliter potest, quam ut hi humores clausi aliam quærant viam, & per cœcos mæandros aut vias patentes (venas nempe, vid. *Barthol. Anat. Ref.*) *Barthol. Anatom. R. l. p. 166.* sursum repant, & hunc adfectum inducant, conspirantibus aliis causis.

Nec dubitandum de viis, cum historiae medicæ testentur ipsos menses vomitu rejectos. *Hippocrates, Aretæus, Brasavolus Comment. ad aphor. 23. Rabbi Moyses, Benivenius de abdit. sanat. & morbor. caus. Mæbius, Bartholinus Cent. 1. Histor. Anatom.*

Non è esse putamus paucis ventilare an analogia humorum cum desideratis rebus admittenda in Pica? *Avicenna, Fachinus* & alii dicunt contraria adpeti: *Rondeletius* verò *Mercatus* & hos sequens *Sennertus* similia.

Forsean distinctio hic locum mereri quiret, dum contrarium dispefcitur in *σύμμετρον* & *ἀμετρον*. *Σύμμετρον* si priores intelligant, nulla dissidia. Verùm priores rectè videntur statuere? In naturali enim adpetitu ubi fermentum sale idoneo est deftituti appetimus salina, ubi nimis salinum appetimus mitigantia & restinguentia salinam hanc vim, ubi nimis liquidum, abhorremus liquida, ubi nimis siccum, optamus ea, quidni etiam in statu præternaturali? Non tamen hic sicco pede prætereundum τὸ θεῖον Hippocraticum.

ARTIC. III.

De Remotioribus Naturalibus non- & præternaturalibus.

B 2

AN

Galen. 1. de Symptom. caus. cap. 7. In fundament. Φυσιολογ. cap. 8.

Syls. disput. Med. part. 1. Deusing. p. m. 120.

Hippocr. 1.6. de

morbis mulier.

Aretæus l. 1. c. 2.

Brassavol. Comm. d. 5.

Benivenius c. 40.

Barthol. hist. 19.

AN a causis SUPERNATURALIBUS adfectus noster oriri que-
at curiosis indagandum relinquimus, autumamus uti-
que posse dum non leve suppeditant argumentum enormes
vomitiones hinc inde in practicum libris memoratæ. No-
bis jam non licet esse tam prolixis ulterius ut excurrere que-
amus.

Inter causas NATURALES eminet temperamentum.
Hoc uti variat, ita etiam fermentum ventriculi. Gallina-
rum stomachi nostratum teste *Deusingio, Hogelando, Zacharia*
à Puteo, Libavio tam calidi, ut silices, vitrum, aurum, marga-
ritas solvant & consumant.

Margaritas in globum à ventriculo gallinæ fusas oculis
subjiciebat nostris *Magnif. Dn. D. Schenckius in Colleg. Pri-*
vat. Pharmaceutico ante biennium summâ dexteritate nobis admi-
nistrato. Et hoc est à fermento fortiori, eundem si adquirit
gradum in calido homine, non mirum & cum posse conco-
quere duriora.

Res si esset decidenda ex *judiciosissimi Tacenii* mente, a-
cidum volatile ventriculum inhabitans esset incusandum; id
enim ejus patefaciunt subsequencia verba: *omnium avium*
ventriculi habent dictum acidum, tam potens, ut nisi frequenter
arenulas, vel laterum fragmenta edant, quo illud refrenent super-
abundans acidum, labitur illis ex stomacho, & reliquas digestio-
nes turbat &c. Hinc quomodo causa nostri adfectus ex hac
sententia erui queat, nobis etiam non præventibus facile visu.

De puella Haffniense *arena* esum in delitiis habente,
videt Bartholinum. Aliam virginem nobilem *arena* scripto-
ria avidè devorata adpetitum depravatum demulcentem se-
vidisse asserit Medicorum Germanorum *Galenus Senner-*
tus.

Fossemus allicere historias eorum qui adpetitui indul-
gentes venena ciborum loco adsumere, verum ne extra ole-
as. Possunt interim adiri *Avicenna*, qui anum napello adve-
nisse adfirmat: *Aristoteles* qui de puella idem refert. *Galenus*
3. de natur. simplic. qui cicutæ usum cuidam familiarem fuisse
asserit.

Non

Non accusamus solum calidum *temperamentum* sed &
alia; omnem tamen in se videtur trahere culpam peculiaris
naturæ proprietatis & dispositio facilis & idonea ad recipien-
dum hunc hospitem.

Dispositio hereditaria venit etiam nominanda. *Ætas*
præterea *juvenilis*, cum ob *αδδηφαιαν* plures excrementitiæ
subnascantur humores. *Sexum sequiorem* magis amat *pica*
quam virilem; raro in hoc, frequentius in illo observatur.

Referebat in lectione publica *ὁ πάλυ Ρολφίνιος* amanti-
censes suos in domo propria detraxisse carnem ab ossibus hu-
manis ad formandum scæleton; accessisse foeminam pauperi-
orem prægnantem, arripuisse avidè lautitias hæc, comedit
se, foetumque exclusisse felicissimè.

Placet inspergere, quæstionem qui fiat, quod foeminæ
frequentius *Pica* laborent, cum tamen ventriculum habeant
angustiorum (*teste Antonide von der Linden*) hincque tot pra-
vos humores colligere nequeant, cum quo capacius vas, eo
majorem copiam materiam ambiat?

Responsio in promptu est. Etiam vas angustum cape-
re potest materiam malignam, inque paucitate plus sæpe
virtutis latet, quam in capacitate: foeminæ item calor debi-
lis, hinc coctio debilior, mensuus fluxus omnis boni dator,
omnis mali autor pro sua varietate: sequioretiam sexus vi-
tæ sedentariæ inhians plures colligit humores excrementiti-
os, qui subsistente evacuatione non possunt non & hæc & alia
graviora inducere mala: cui subjungimus imprægnatio-
nem totum corpus alterantem.

Sex res NON NATURALES nunc in censum vocandæ. *Aer*
impurus, nimis frigidus, nimis item calidus, variis moleculis
imprægnatus, imperium suum & hic exerit.

Astrologi *Om* sub terra malè adfectum ventriculum,
lædere adserunt.

Morus illegitimo tempore institutus turbat coctionem,
efficit celeriorē licet non meliorem, sicque ventriculum in
sua turbat actione. *Quies* nimia facit languere primum con-
dum nostrum, hinc calor natus veluti suffocatus re-

B 3

Inquit

Deusing Oecon. a-
nimal.

Libav. epist. Chim.

l. c. epist. 31. p. m. 231

Sperling & Sen-
nerius in dubium

Vocant V. Wendleri

Gorlicens. experi-
ent. qui fol. auri

gallin. exhibuit, i-
que ejus ventricu-

lo lineas aureas
repperit.

Hippocrat. Chi-
m. p. 90.

hist. 44. Cent. 1.

hist. Anatom.
car.

in Praxi.

Natur. curiosor.

Argonauc. Fehr

in Scorzon. p.
153. 159.

lib. 4. Canon fen.
6 tr. 1. sum. 1.

cap. 2.
h. 2. de regim. Princ.

Medic. Physiol.
art. 4. de ventr.
Adde Disputat.
Tubingensem de
Chylificat. Møg-
lingi P. P. Phil. &
Med. D.

inquit plurima intacta ejus alioquin dominio cessura.,
Somnus longior excrementorum ferax, *vigilie* item ul-
tra terminum extensa ob continuum sanguinis motum cor-
pus non tantum calefaciunt, sed & spiritus absumunt, visce-
rum actiones debilitant.

Cibus & potus aut in *excessu* aut *defectu* adsumtus. In *de-
fectu* ventriculus legitima alimonia destitutus aliunde quaerit
& attrahit, aut languet; in *excessu* nimia cibi mole obru-
tus ignis ejus dissipatur, inidoneus redditur ad incidendum,
plurimasque procreat cruditates, agit quod potest, omnia e-
nim subjugare non valet, ergo coquit, & cum coquendum su-
peret calorem coquentem, semicoctus chylus prodit. Hinc
subnascuntur pravi humores cacochymiam inducentes: hac
praesente si foemina concipiat, non multos post dies nausae,
vomitu, & corrupto appetitu quem *picam* vocant, pro humo-
ris peccantis vitio laborabit, inquit *Julius Caesar Annius*.

Excreta & retenta ventriculo non leve quoque facessere
possunt negotium: scybala in intestinis restitancia pravos de-
semitunt halitus in ventriculum regurgitantes, atque hinc
ejus Oeconomiam turbantes. Fluxus in foeminis menstruus,
haemorrhoides sua quoque imprimunt vestigia, secus ac Na-
tura vult se habentes.

Animi denique *pathemata* hic intacta non relinquenda,
ira, timor, tristitia immutant nostra corpora, ventriculoque
suam communicant noxam.

RES PRÆTERNATURALES multum hic valent: *imagina-
tio* falso phantasmate delusa, (*Vide Sperling. de format. homi-
nis in utero. Etenim de viribus imaginat. Kircherum Scrutini-
Pest*) hypochondria male adfecta, mesenterium obstructum,
diversa aëlia viscerum, ventriculi lienisque morbi, haemorrh-
oidum mensumque fluxus interclusus, nisi praesentes *Picam*
semper inducant, tamen praesentiam ejus sapissimè comitan-
tur fidorum instar satellitum.

Proposita sic *Picæ* essentia, subjecto, causis, progres-
sum facimus jam nunc ad

CA-

CAPUT IV, quod PICÆ differentias exhaurit.

PICÆ modo est intensa, gravis & confirmata: sic erat in
foemina illa, quæ dentibus involabat in Pistoris nudatum
brachium, duobus frustis alterna vice detractis; nec dum sa-
tiata tertium ardebat pistoris brachium, quæ spe decollata ob
doloris sensum quem induxerat morfu pistori, mœsta secessit,
materque trium liberorum facta duos exhibuit vivos tertio
mortuo. Ejusdem farinae est quod habet *Ludovicus Vives*,
gravidam in cervicem juvenis dentibus irruisse, appetitum ex-
tatiâsse, hocque ni fecisset, abortum sibi conciliaisset. Plura
si aves scire, consule medicas Observationes, nobis non ani-
mus variegatis aliorum plumis nostra exornare.

Modo est remissa, levis & incipiens.

SUBJECTI ratione alia fit per essentiam, quando ven-
triculus, alia per consensum, quando uterus aut hypochon-
dria primario adfecta.

CAUSARUM ratione tot hujus differentia constitui
possunt, quot causæ hunc affectum producunt, de quibus pro-
lixè superius egimus.

Sic à causa erat supernaturali quod nobilis in Franco-
nia matrona, ab *Avaritia* cognominata *der Geis*, manducabat *Finsel* in *Wun-
terram*, limum, simum & quidquid plateæ habent excrementi. *der getchen*.

LOCI ratione in *Belgio* frequentius hoc malum est, teste
Lev. Lemnio, *Hamburgi* item, ubi minoris & mediæ sortis fœ-
minæ imprægnatæ adpetunt lac crassius, an ex consuetudine,
an vitio naturæ, ambiguum. Causa posset quæri ex aere, vi-
ctus ratione & aliis.

CAPUT V Signa proponit.

AR-

de fœtu hum. p. 115.

p. m. 108, & seq. Kirch. p. m. 188.

Langius Epist. Med. l. 2. epist. 11.

in Comm. ad l. 27. August. d. C. D. c. 25.

ARTICULUS I. Signorum mentionem facit Diagnosticorum.

Nervum curationis esse *Diagnosin* in confesso est. Enim-
verò Andabatarum more pugnabit qui curat, nec quid
curet aut curare debeat in mente habet. Hinc verè dixit *Tra-*
lianus: ὁρθὴς Θεραπεύσις τοῦ ἀλλοίου ἐστὶν ἡ Διάγνωσις, *fundamen-*
tum rectæ curationis est internotio. Hæc autem uti plerumque
difficilis est, ita in nostro adfectu perquam facilis. Soricis
enim instar suo se prodit indicio appetitus hic depravatus,
languor præterea adest, & ægri respuunt cibos salubres eli-
gentes deteriores, morsus accedit ventriculi, anxietas item
ob materiam circa 6ti paris nervos hærentem, crebrum spu-
tum, quod aut hypochondria affecta, aut ventriculum læsum
indicat: vomitus crebri, dum nempe ventriculus retinere
nequit absurdo adpetitui oblata, aut expultrix irritata, quæ
materiam hæud rarò patefacit hujus morbi fomitem.

Placet paucissimis farier de tempore invasionis. *Jacobus*
Primerosius dicit *pica* fieri statim post 20. aut 30. diem à con-
ceptione, & durare ad 4. mensem. *Franciscus Joël* incipere ad-
ferit 40. die, desinere 4. mense. Alii aliter.

Tempus tam exactum determinari nequit, cum varient
causæ, varient naturæ: sufficit nobis scire quod primis men-
sibus in foeminis se sistat *pica*, subq; ipsum tempus solitum ge-
stationis medium protrahatur & desinat, nisi fidum fidi & ex-
perti Medici accedat consilium, auxilium.

Mares cum infestat, tempus invasionis est incertius, pro-
babile tamen demum erumpi, ubi suppetit materiæ hunc ad-
fectum inducentis ubertas.

ARTICULUS I. Prognosin in circulum profert.

Prudencia Medici si unquam elucescere debet, hic certè
opus erit ut suum exhalet odorem amœnus hicce flos. In
hac

hac si se præstiterit egregium Medicus, astris adproximatur
ejus autoritas, si secus ad orbem detruditur.

Non ex illorum adfectuum numero videtur esse *Gitz*,
qui malignitate sua proprium evertunt habitaculum: quæ
tamen consequuntur Chylificationem læsam, illa omnia hic
expectare poteris.

Si mala per longas invaluere moras.
In prægnantibus desipit *malacia* & evanescit spontè, crescente
gestationis tempore, quia tùm foetus uberius poscit nutri-
mentum, hinc natura attrahit, domat, imminuit, aut etiam
advehit quod antea hoc malum fovebat.

Experientia comprobat sine noxa prægnantes appetitui
huic satisfacere. Ita recordor antè-quinquennium & ultra
pannificis uxorem Gorlicii in foro hæc cum carpionem vi-
vum è vase extractum ad dimidietatem usque publicè avidè
comedisse omni sine noxa, quod licuit audire, studiorum gra-
tia tùm ibi commoranti. Nec desunt alia exempla.

At ubi tam absurda & durissima adpetuntur, sine noxa
capi nequeunt. Notum est exemplum foeminae quod citat
Brassavolus, quæ maxima sibi attraxit mala cum appetitum
glaciei bibitione demulisset?

Hoc boni *malacia* secum adportat, si *Primerosio* credi-
mus, quod qui eâ laborant, pulchriores edant foetus foeminae,
quia factus puriorem sanguinis partem attrahit impura reli-
cta, & ad ventriculum terros halitus mittente.

Sistimus nunc

CAPUT VI.

cumque eo *θεραπείαν* adgredimur.

Vana est omnis Medici speculatio nisi oculum intendat
ad Praxin. Putamus nos satisfacisse, si non ad amissim,
pro viribus tamen iis, quæ necessariam à nobis sibi exposce-
bant pertractationem & prænotionem, faciliori nunc pede
adgredimur curam ipsam.

Nititur autem illa METHODO INDICATIONUM Curatoria
vitali & præservatoria, illa respicit symptomatù, hæc causarù
abla-

l. g. c. 8.

de morb. mul.

in Prax. sua

Obid. remod.
Amor.

in Comm. 3.
aph. 24.

de morb. mul.

ablationem: Ubi ante omnia virium habenda ratio, si in curatione felices esse optamus, quippe deficientes actum suspendunt curatorium.

Indicationes hæ suis innituntur fundamentis, unum est: *similia similibus conservanda, alteruta contraria contrariis curanda, quantum possibile omnia fiant citò tuto ac jucunde.*

Esto ergo

CAPUT VII.

colophonem quod nostris impo-
net meditationibus, ubi prius ege-
rimus de materiis præfidiorum ex
tribus fontibus desumendis.

ARTIC. I.

discurrit de ex fonte Chirurgico quærendis
remediis.

PRIMÆ caux inclusam reperimus V.Sm, quæ iusto tempo-
re mirum quantum reficiat corpora. An in nostro adfe-
ctu debeat administrari, disquisitione dignum.

Nos indicationibus illam suadentibus nec aliis gravio-
ribus obstantibus recommendamus, præprimis in Plethoricis,
cautè tamen procedendum in utero gerentibus, ne abortus
sequatur.

Ubi adest cacochymia, corpus ex sanguine & sicco, vires
debiles, utique intermittimus, ne unà cum nobilissimo & vi-
vivifico nectare subtrahamus ægro vitam.

Scarificationes cum & sine cucurbitulis, apertio hæmor-
rhoidum, fluxus menstrui modo admitti in aduetsis, modo
denegari queunt, pro prudentis medici consilio ad stateram
mentis omnia examinantis.

ARTIC.

ARTICULUS II.

fontem aperit Pharmaceu- ticum.

MEDICUM non raram scriphtiam esse debere dum ægrotos
invisit, in confesso est: linguâ ut utatur diserta sæpe
status ægri exposcit. Fœminis malacia laborantibus haud ra-
ro prægnantibus rationibus appetitus hic in prima, ut dicunt
suffocatur herba, nunc enim illis ob oculos ponitur & propri-
um & fœtus inde emergens damnum, nunc in animum reuo-
catur, quod grauitè peccent, dum se in periculi abyssum præ-
cipites agunt, & quæ plura possent esse persuadendo. Leni hac
symphonia non exaudita majoris minationis sono aures ea-
rum feriri queunt, aut etiam falli, fore ut jam adportentur
quæ desiderant; hoc etiam in casum factò, Medicus à verbis
veniat ad herbas, iisque exhibere jubeat fabas sacharo obdu-
ctas, suadente id autore *Obstetricis Gallicis*.

Mirabitur forte an aliquis hic fabas commendari à Py-
thagora tam severè prohibitas ob signaturum lugubrem; ve-
rùm vis earum refrigerans & siccans excusabit autorem di-
ctum. Ad his *Simonis Pauli* Quadripart. botan. cap. 22.
p. m. 30. edet. no-
viss.

Quidam res desideratas ex amylo conficere jubent & picâ
laborantibus porrigere, usurpet cui placet, dubitamus meri-
to de ægrotorum recipiendi facilitate.

Vomitù nos imperamus expensis expendendis, non obstan-
te Joh. Hartmanni autoritate, qui dicit: *Pica prægnantium* in praxi Chimi-
atr. p. m. 172.
tam vomitionem quam purgationem respuit, quin quæ cor-
roborant unice requirit: Malum enim sæpe ventriculo ita
impactum est, ut nisi vomitu tolli queat, ideoque summa cum
ἐυφροσία instituitur.

Sæpe natura etiam corroborantibus adjuta superare ne-
quit altius impressum malum: Natura præterea non adeo ab-
horret à vomitu in prægnantibus, quia circa primum conce-
ptionis tempus fœminis nil frequentius quàm vomitus.

Cavendum tamen à fortioribus medicamentis, nè commotione gravi & uterus turbetur, & abortus sequatur.

Hauftus ▽ tepidæ aut hydromelitis in quo radices raphani decoctæ, proficius erit. Item

℞. ▽ bened. Ruland. ℥i℔. cinamom. ℥i℔.
M. S. Magenreinigendes Wasser.

Vel ℞. croc. ℥i℔. absynth. g. jv. ℞. ℞. g. vij. o. anisi q. satis.
f. l. a. pulv. d. S. BrechPulver.

Paulò securius curare poteris, si tibi res cum viro aut non imprægnata fœmina. Hinc

℞. ♀ vitæ g. vj. gummi gutt. g. vij.
o. cinamom. g. ij. M. S. BrechPulver.

℞. ♀ vitæ g. v. crystal. ꝑr. ℔.
eleofach. anis. g. v. M. S.

FFalvus M.M.

Difficile est vomitorium præscribere, quod ex affe satisfaciatur, sæpe enim excessus sæpè defectus adest: Defectum reiteratio supplet, excessum lapides emendabunt, nobis sic præeunte Nobiliss. Sachsio. Si ab adsumto vomitus non cesset, suadet Høferus coch. j. aut ij. Sp. v.

Post vomitum offeratur patienti buccella panis tostii in succo cytoniorum aut granatorum materata.

Vomitum post si nec dum æger sentiat levamen, reliquæ tolli possunt medicamentis ἐκκροντισμοῖς.

℞. Pulv. vegetab. Rosinc. ℔j. dacryd. g. vj.
o. cinamom. g. ij. cum sir. de mentha q. s. f. l. a. pil. M.
D. S. PurgierPillen auff l. mahl.

℞. Gialap. nigr. resinof. pulv. g. xv.
ꝑri ℞. g. ℔. gummi gutt. g. iij.
℞. menth. g. v. M. D. S. PurgierPulver auff l. mahl.

℞. Conserv. menth. ℥j. pulv. gialap. g. xv.
dacryd. g. vj. fecul. ari g. iij.

M. f. c. sir. rosac. bolus, adspargatur pulv.

Trag. Stomach. Querc. D. S. Magenreinigender Zucker.

Ventriculi languorem emendantia subnecti possunt, eum roboran-

borantia tam interna quam externa, ut & sic dicta Specifica in hoc adfectu. Sic

℞. conserv. rosar. ℞. ℥i℔. ℥i℔.
ind. calam. aromat. condit. galang. condit. a. ℥vj.
cortic. aurant. condit. nuc. mosch. Ind. cond. a. ℥℔.
spec. diarodon. Abbat. diaplir. Archont. a. ℥℔.
℞. absynth. menth. a. g. iv.
spir. aron. ℥℔. c. f. q. sir. de absynth.
f. l. a. Electuarium. D. S. Magenlätzwerg.

Moretus, quem dicit familiarem Francofurti Schröderus; & ex Pharmacop. 6. 646
eo Mæbius, hic quoque usui esse potest; talis autem est
p. m. 230.
Instit. p. 719.

℞. diamor. cum sacchar. ℥j.
juleb. rosar. ▽ cinam. a. ℥℔.
spec. diamb. ℔j. trag. stomi. ℥℔.
vin. opt. canth. j. f. D.

Nec hic Pulvis suo deerit officio.

℞. galang. zingib. zedoar. pulv. a. ℔.
sem. cumin. portulac. pulv. a. ℔j.
conall. rubr. prepar. C. C. ph. prepar. a. ℔.
eleofach. cinamom. ℔j.

irroretur succo cydoniorum. D. S. MagenPulver.

Extèrna possunt esse varia: Crusta panis vino malvatico intincta exterius applicata; magnarum deprehendetur esse vitium: o. ea item cydon. nardin. rosar. mastich. melin. ut & hic balsamus

℞. Corpor. balsam. cinamom. o. i. cinamom. q. s.
M. S. ZimmerMagenBalsam.

Sacculus si placet, talis esto:

℞. summitat. absynth. pontic. vulgær. menth. a. m℔.
fl. chamem. roman. rosar. a. p. v.
rad. acor. ari. zedoar. galang. a. ℥i℔.
sem. anis. fenic. carv. a. ℥℔.

Concisa contuf. diad Chartam. S. Species jium Säcklein.

Possimus subnectere plures formulas, verùm cum cuilibet qui

materiam callet medicam facile sit componere alias & speciosiores & diversa facie prodeuntes, ideoque sufficet praxivisse saltem paucissimis. Practicorum item libri magnam exhibent farraginem, quos consulat qui plura legere avet, nos fini inhiamus.

Specificè prodesse perhibentur, nux moschata melli commissa comestaque, item succus mali punici cum pulv. menth. sic. quod commendat *Aërius*. Aliis specificum est portulaca.

Fernel. in *Malacia* commendat decoctum absinthii.

Lev. Lemnius plumosum tegmen vulturis, item ut speci-

ficum, *Halymum*.

Dominic. Chabraus laudat mespilum aroniam veterum:

adjuuge sis *Herbar. Ebrodunensium*.

Autor Obstetric. Gallic. Hartmannus, Sennertus, & ex hoc Höferus commendant succum è tenellis vitis foliis expressum, vel solum vel cum miva cydoniorum, cui paria facere creditur ▽ mense Majo è foliis vitis mediante incisione destillata.

Omnia hæc vana erunt adhibita medicamenta, nisi proba succedat diæta. Hæc sola sæpè curat, uti exemplum demonstrat *Ludovici Cornari* nobilis Veneti, quem Medicis jam morti tradiderant: ille verò cupidus vitæ adstrinxit se certis diætæ legibus, hinc non solum convaluit, sed & supra no-nagesimum annum attigit quintum. Ideoque

ARTIC. III.

cum fonte Diætetico agmen claudit.

CUM DIÆTA consistat in sex rerum non naturalium usu legitimo; ideoque *Pica* laboranti hoc instar regulæ erit, ut *Aerem* eligat purum, lucidum, temperatum, à pravis atomis alienum.

Cibum adsumat varium & jucundum, natura enim delitiis hinc inescata, dediscere incipit prava adpetere: pedes

des suilli & tali ovium probe costi & X conditi profunt; pulmentum ex amylo recenti factum & sæpè usitatum commendat *Joel*: abstineat à dulcibus & vomitum facientibus: sin- tamen placeant dulcia, admisceantur adstringentia, ne tonus ^{in Praxi.} ventriculi laxetur. Sunt qui suadent ante cibum sumi debere cappares, olivas, invitant adpetitum: panis cydonii succo aut alio adstringente imbutus paria facit. Mane adsumat æger radices cichorii conditas, ut & vesperi lectum antequam ingredi sustineat.

Potus sit vinum generosum, antiquum, rubrum ob adstrictoriam vim: cerevisia benè defocata, clara, non admodum annosa. Το πύρον non excedat limites; tantum cibi & potus adsumendum, ut vires reficiantur non opprimantur. Victus enim rectè in unoquoque institutus quædam curatio est, verba sunt *Petri a Castro ex Hippocrate*.

Somnus & vigilia anatica inter se permisceantur proportionem, cavendo ne quid nimis.

Excreta & retenta se habeant legitimè, alvus, vesica, uterus, hæmorrhoides satisfaciant officio, sin aliter sollicitentur debitis remediis, cautione tamen adhibita in sarcinam conjugalem ferentibus.

Quies post, Motus ante cibum instituat; iusto tempore, non tamen fortior, ne alia ingruant mala in prægnantibus, nevé maligni humores, si qui restitent; commoveantur.

Animi pathemata cum maximè valeant in inducendis morbis, & ea respicienda: absit timor, terror, tristitia, imaginatio fortior, prava: adsit moderatum gaudium, quod non modo placidè demulcet, excitat & reficit spiritus, sed & sanitati conducit. Cœterum stet ante oculos

— — — medio tutissimus ibis.

Et hæc sunt *L. B.* quæ ex tenuis ingenii penu depromptissimus ad describendam *Picam*, si erravimus, erroris veniam debite exposcimus, rectius sentienti cedimus, vacivas aurium ædes præbetus, cogitantes *bonum quandoque etiam dormire* Homerum. Interim finimus eo ipso quo *Magnif. Rolsincius* suum de purgantibus tractatum ex *Abuali IbnSina;*

LAUS DEO DOMINO SAPIENTISSIMO.

CLA

*M. M. l. 5. c. 22.
l. 4. c. 26. p. 713.
p. 529. d. O. N. M.*

*in Sciagr. Stirp.
p. 3.*

*Leonhard. Lessius
hygiast. c.
Grundmann in
der Geschichte
Schule.*

Cicero!

*Petrus a Castro in
imbr. aur. p. m. 364*

CLARISSIMO
M. SAMUELI
LEDELIO,

PRO
LICENTIA
gradum MEDICINÆ summum
adsumendi,
publicam adscendenti cathedram

FELICITER
adclamat

Guernerus Rol-
fincius, Phil & Med. D.
Prof. Publ. Senior.

Macte tuâ virtute, tuisque
ingentibus ausis:
illustre quondam sic eris pa-
triæ decus.

Pica

Pica cibos stomacho nocuos
obtrudere tentat,
corporis undè vigor non si-
netabe perit.

Tu contravictu meliori pasce-
re mentem
atque simul corpus, non sine
fruge doces.

Exitus est illi malus, ast spem
porrigit amplam
vitæ consilii vis benè ma-
gna tui.

Dispereat picam qui consu-
lit, altera surgat

Per tua LEDELI pascua sana salus.
Joh. Theodorus Schenck,
D. P. P. h. t. Decanus.

D

Te

TE cernebamus nuper, præclare
LEDELI,
perfacili sopathæ scandere ad alta
gradu.

Cernimus & porrò ut Medicinæ
Præses Apollo
charum supremò cingit honore
caput:

Scilicet & fas est, ut, qui sic gna-
viter instat,
prævalidâ infigni pondere lucra
ferat.

*non sine omnimoda gratulatione Nobili atque Præ-
clarissimo Domino Doctorando hæc deproperab.*

P R Æ S E S.

Altior vidisset te laurus fronde superbum,
Nè retraxisset splendida Fena suum.
Hoffmanni virtus, Noriberga, & Flora, fidesque
Cultorum Phœbi detinuisse satis.
Ast dixit Phœbus: quem fecit Fena Magistrum,
Huic det Doctoris grandia jura volo.

Martinus Mercel / Med. Lic.

Sic

Sic aquila esto, velut volat hæccine solis ad ignem,
Adproximas sic stellulis.
Gaudia fundas.

Ævo nam jam nunc excidit illa dies,
Illa dies lætam studiorum cernere messem
in quo datur: nunc gaudeas.
Laudo parentes,

Gaudeo, grator eis, grator & ipse TIBI.
Ecce relinquatur natorum turbula, dicunt,
Non ditior sed doctior:

Pergite chari,
Dextera fatitrahî VOS tegat alma DEI.
Et tu Præcellens Frater sub Sole superbi
Nostro, videlicet mica
clarus honore.

Illustri famâ, condecoresque SORAM.
Quid demum? Jovam calidis orabo profeuchis,
Ut fiat hoc: & sic TUA
Nomina clara

Intereant nullo tempore

Un so zeuch mit Kunst belastet
Nin ins süsse Vaterland/
Der du schon so lang gerastet
In der schönen Musen Hand:
Eia ganz SOXA das ruffe glück zu
Alles Aufnehmen/ Behagen und Ruh.
Ey so lieb Gesundheit schätzet
Jeder/ so Machaons Junffe

Wird

Wird viel andern vorgefetzt/
Drumb verlangt man dein Ankuufft/
Eia ganz SONA das ruffe Glück zu
Alles Auffnehmen / Behagen und Ruh.
Nun geht auff in selben Grenzen
Wieder / jenes Ledels Licht
Solte dieses man befränken /
Und in Ehren halten nicht ?
Eia ganz SONA das ruffe Glück zu
Alles Auffnehmen Behagen und Ruh.
Auch du Himmel gänstig bleibe/
Der du schüttest sonst den Weg /
Ihn zum Vaters Schwellen treibe
Dich zu seiner Seiten leg:
Eia ganz SONA das ruffe Glück zu
Alles Auffnehmen / Behagen und Ruh.
Meine grobe Kiel kan setzen
Nichtes mehr als dieses Wort/
Höfligkeit muß sie verletzen/
Dennoch fährt sie also fort:
Eia ganz SONA behalt dich in Ruh
Sama die bring in ihr Zimmer dich zu
E. immer zu

Fridericus Ledelius
Philosoph. Stud.

E N D E.